

DE RERVM NATVRA VI

sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.

'at nimis est ingens incendi turbidus ardor.'

scilicet et fluvius, qui visus maximus ei

qui non ante aliquem maiorem vidit, et ingens 675

arbor homoque videtur, et omnia de genere omni

maxima quae vidit quisque, haec ingentia fingit,

cum tamen omnia cum caelo terraque marique

nil sint ad summam summam totius omnem.

Nunc tamen illa modis quibus irritata repente 680

flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflet,

expediam. primum totius subcava montis

est natura, fere silicum suffulta cavernis.

omnibus est porro in speluncis ventus et aer.

ventus enim fit, ubi est agitando percitus aer. 685

hic ubi percaluit calefecitque omnia circum

saxa furens, qua contingit, terramque, et ab ollis

excussit calidum flammis velocibus ignem,

tollit se ac rectis ita faucibus eicit alte.

fert itaque ardorem longe longeque favillam 690

differt et crassa volvit caligine fumum

extruditque simul mirando pondere saxa;

ne dubites quin haec animai turbida sit vis.

praeterea magna ex parti mare montis ad eius

radices frangit fluctus aestumque resorbet. 695

ex hoc usque mari speluncae montis ad altas

perveniant subter fauces. hac ire fatendumst

\*

et penetrare mari penitus res cogit aperto

atque efflare foras ideoque extollere flammam

saxaque subiectare et harenae tollere nimbos. 700

in summo sunt vertice enim crateres, ut ipsi